



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia**

**Roberti, Johannes**

**Leodii, 1632**

S. Dionysivs Areopagita, Graecvs, Atheniensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45032**

S. DIONYSIVS  
AREOPAGITA, GRAECVS,  
ATHENIENSIS.

ASSERTIO IVRISPER.

Metaphrast. in vitâ :

*Eorum, quæ fiebant, Auditores, & IVDICES  
præsidebant (: Areopagitæ:) quorum vnus  
etiam erat DIONYSIVS, cuius & in di-  
cendo, & IVDICANDO, præcipuæ erant  
partes.*

Michaël Syngelus :

*Hic est, qui rectissimâ in iudicando, trutinâ  
vsus, eorum, qui Athenis IVS dicebant, iu-  
stissimus fuit.*

VITÆ COMPEND.

**Q**UID in Te, ô Magne Galliarum  
Apostole, potissimum miremur?  
An diuinam illam sagacitatē, quâ etiam  
tum Gentilitatis tenebris circumfusus,  
cum ipse quoque Sol, lucis fons, tenebris  
ipso meridie obnubebatur, tantâ tamen  
luce à Sole Iustitiæ, harum tenebrarum  
authore, & illarum dissipatore, illustra-  
tus es, vt, ceteris, non magis rei noui-  
tate,

tate, quàm suâ ignoratione, attonitis; solus supra humanam cognitionem longè euectus, antè Propheta, quàm fidelis, exclamares: ἄγνωστος πᾶσιν ἑστί θεός, *Ignotus patitur DEVS?* An promptitudinem (dicam, an potiùs ὄρμην, & impetum) quo Fidem, Religionem, Pietatem arripuisti, cùm primùm Magni Pauli vocem, tamquam tubam, aure, & mente hausiisti? An eiùdem Pietatis, Religionisq̃ue exercitationem assiduam, quâ precibus intentus, noctes ducebas insomnes; carnem domabas ieiunijs; deteriorem partem præstantiori, id est, pulverem menti subijciebas: ad contemplationis celsitudinem sublatus, ad cælestem claritatem totus euolabas, & in Apostolicis doctrinis, præsentis animo deliciabaris? Hæc videlicet in te videbat Apostolus, cùm te Atheniensibus Episcopum primum constitueret, & Patriæ tuæ Parentem. Hæc Apostolicus Pontifex Clemens, cùm te & Magistrum crearet, & Gallis Apostolum mitteret, Hæc Religione, hæc Authoritate, hæc animi perpetuâ

petuâ constantia, immortalia illa facinora patraſti, quæ in te admiratur orbis terrarum. Cui tu orbi, & Gallis in primis tuis, Chriſtum, eiufque doctrinam intuliſti, Cacodæmonû fraudes amouifſti, fidem confirmaviſti, Eccleſias exædificaviſti, atque adeò Chriſti, & tuum ſanctum gregem, ipſi Chriſto Templum effeciſti. Et quid amplius dicam? Domitiano Cæſare, (: Dæmonianum rectius dixerim :) fortior factus, eiufque adminiſtris amentia, & furore illi quam ſimillimis; non modò loquens, & ſtupenda miracula patrans, ac ſic totos populos, tota regna, aurea velut catena trahens; ſed & dira tormenta ſuſtinens, eos ſuperaviſti. Denique eos non modò viuus, ſed & moriens, imò mortuus conculcaſti: cùm tibi ipſi ſuperſtes, ſacroſanctum tuum caput diuinis manibus ſuſtulifſti, & tamquam trophæum victoriæ tuæ, quo lubuit, aſportaviſti; ac ſic carnifices illos, ſtupore defixos, quavis ſtatua magis mutos reddidiſti. Porrò interea dum ſic examine corpus triumphat in terris,

præ-

præliorum loco; quid impolluto illi spiritui putamus in cælis, præmiorum propria sede, triumpho esse decretum? Non dubium à te, tanquam dulcissimum filium exceptum (:vt nihil dicam de DEO filio tuo:) ò DEI Mater Virgo, qui cum Apostolis, cum Hierotheo Præceptore suo, cum diuino Timotheo, venerandæ dormitioni tuæ adfuerat, & cum ijsdem ipse quoque hymnum gloriæ tuæ conuenientem decantârat.

Canamus & nos illi cum Oeco, & qui ob virtutes Angelus vocatus est, eū, vt Angelum, honoremus, dicamusque: *Aue, qui Christum per Paulum agnouisti. Aue, qui multos ad Christum conuertisti. Aue consilij à DEO cogniti specula. Aue liber à DEO inscripte (:Θεοχάρακτ@:) mysteriorum thesauri. Aue tabula à Deo formata. Aue gutta amentiam excuans. Aue sepimentum contra impiorum accessum. Aue fax, fideles illustrans. Aue Pater παγκόσμιε, vniuersi mundi. Ora pro nobis. Amen.*

Ex Menæis Græc. 3. Oct. Metaph. 9. Oct. Suida, Niceph. l. 2. Syngelo, Methodio, siue Metrodoro.

Floruit Anno Christi 48. Obijt 9. Octob.